



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Vulgò Femy, in finibus agri Cameracensis, sesquimilliari à Landresio  
Hannoniae opido.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**

CAPVT LXX.  
FIDEMIVM,

*Vulgò Femy, in finibus agri Cameracensis, ses-  
quimilliarum à Landresio Hannonia opido.*

An. 1081.

**H**ic cœnobio initium dedere, anno Christi millesimo octogesimo, nobiles Angli duo, qui patriis sedibus abierunt, ut incogniti pacificè Deo alicubi seruirent. Cumque Romam sese contulissent, Pontifex Maximus Benedictinam ipsis regulam præscripsit. Alter eorum, Stephanus nomine, primus huius loci Abbas fuit, estque basilica eiusdem loci S. Stephano protomartyri dedicata.

Hoc porrò cœnobium egregiè auxit Nicolaus Episcopus Cameracensis, eo nomine primus, ut arbitror, itemque Cathedrale Canoniorum eius urbis collegium: adeò ut episcopus iste, & Canonici Cathedrales, secundarij (ut sic loquar) fundatores habeantur. Fuit autem ab annis ampliùs centum viginti, inter Francorum Reges & Belgarum Principes, lis & quæstio de cœnobij huius situ, utrorum videlicet in ditione illud situm existat. Vulgò ditionis Cameracensis esse creditur; sicque arbitri, siue legati partis vtriusque cum Mondiderij anno millesimo sexcentesimo tertio conuentum agerent, iudicarunt.

An. 1603.

*Hæc ex manuscripto quodam codice, aliis-*

*que*

que monumentis, Iulianus Ligneus, sacerdos Cameracensis, vir eruditus, nobis per literas significavit.

## AFFLIGEMIVM,

Tertio milliari à Bruxella, vrbe regia.

**V**Vetherico monacho S. Petri Gandensis, Romani Pontificis auctoritate, per Flandriam ac Brabantiam, ad clericorum præsertim concubinariorum, populi que mores emendandos, prædicante; inter alios quinque \* milites ad pœnitentiam sunt conuersi: quos inter Gerardus, cognomento Niger, eminebat. Qui quidem seculo renuntiantes Affligemiensis in Brabantia cœnobij principia incohauerunt anno millesimo octogesimo tertio. Fuerat is locus antea non nisi latrocinantium conuenticulis aptus, tertio verò post anno Gerardus Cameracensis Episcopus basilicam Affligemiensem dedicauit. Sexto autem anno primus Abbas Fulgentius ibidem est constitutus. Hæc Balduinus Niniuensis in Chronico suo manuscripto. Meyerus in Annalibus Flandriae, concionatorem illum vocat Gedericum, dicitque monachum fuisse Blandiniensem; ex verbis tamen Balduini Niniuensis videri fortasse queat, eum monachum fuisse ad D. Bauonis, quod cœnobium istud proprie sancti Petri Gandensis nuncupari soleat.

\* Media ætate scriptoribus milites sunt quos hodie quites nuncupamus.

An. 1083.